

## IN MEMORIAM

---

Die 16 martii anni 1962, inopinata morte correptus, in Domino obiit Reverendissimus Dominus I. Versteylen, inde ab anno 1937, abbas Parcensis (prope Lovanium), et, inde ab anno 1950, praeses Commissionis Historicae Ordinis Praemonstratensis.

Natus erat in Turnhout, die 10 octobris 1896. Studiis humanioribus absolutis, die 13 septembris 1913, abbatiae Parcensi, in qua durantibus annis 1887-1897 patruus suus, Fr. Versteylen, abbas fuerat, sese aggregavit. Sacerdotio initiatus fuit die 11 maii 1919. Varia munera ipsi in abbatia fuerunt concredita, inter quae munus cantoris, bibliothecarii, archivarii, lectoris Historiae ecclesiasticae. Paulo post, frequentare coepit lectiones Historiae in universitate Lovaniensi. Licentiatum in scientiis historicis obtinuit mense iulii 1930.

Supprior abbatiae constitutus fuit die 18 septembris 1936, donec, defuncto abbate Nols, electus fuerit abbas die 2 martii 1937. Benedictio abbatialis ipsi collata fuit ab Eminentissimo Cardinali Van Roey, archiepiscopo Mechliniensi, die 14 aprilis 1937. Eadem hac die, Exc. Dominus Ladeuze, rector magnificus universitatis Lovaniensis, ipsum proclamavit doctorem honoris causa in Scientiis historicis universitatis Lovaniensis. Hac ratione probare intendebat universitas Lovaniensis quanti aestimabatur illud quod abbas Versteylen per plures annos praestiterat in secretariatu *Revue d'Histoire ecclésiastique*. Potissimum in conficienda bibliographia systematica notissima dicti periodici, *Revue d'Histoire ecclésiastique*, abbas Versteylen meritissimum se reddiderat. Eius curis, eiusque nomine inscripta, anno 1928, apparuerunt *Tables générales des tomes I (1900) - XXII (1926) de la Revue d'Histoire ecclésiastique*.

Hoc ipso anno 1962, quo obiit, abbas Versteylen compleverat annum vigesimum quintum muneris ac dignitatis abbatialis. Quid per decursum horum annorum fecerit pro dilectissima sua domo, in hoc periodico evolute describere non debemus. Sufficiat indicasse, ipsum obtinere potuisse ut structurae mirandae abbatiae, quibus vetustas non modicas iacturas inferre coeperat, annumerarentur inter

monumenta historica regionis. Instaurationes opportunaeproinde coeptae sunt inde ab anno 1950; per maximam partem foeliciter absolvi potuerunt, et spes fundata est ea quae instauranda remanent, mox eandem foelicem fortunam esse obtentura.

Abbas Versteylen vice-praeses erat concilii dicti: Conseil de Coordination culturelle de Bruxelles et du Brabant; insuper praeses, honoris causa, Kulturele en Heemkundige Kring « Heverlea ».

Studiis in universitate Lovaniensi absolutis, inter membra Commissionis Historicae Ordinis annumeratus est, anno 1930. Defuncto primo praeside, abbate Lamy, die 15 decembris 1949, abbas Versteylen, praeses Commissionis Historicae Ordinis factus est. Sub eius ductu, Commissio nostra obtinere potuit periodicum, a se editum, *Analecta Praemonstratensia*, tempestive ac numero paginarum nonnihil aucto, semper prodiisse. Similiter initium sumpsit series librorum, de historia Ordinis agentium: *Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium*.

Occupationes variae muneris abbatialis, simul ac munera magis generalia ipsi in Ordine commissa, uti Circatoris Capituli Generalis pro Circaria Brabantica, abbati Versteylen, conditionibus sanitatis deficientis interdum non parum laboranti, non permiserunt ut inquisitiones historicas pararet ac ederet. Ita ut bibliographia eius scientifica non ad magnum numerum ascendere potuerit.

Omnes et singuli vero qui, sub eius praesidio in Commissione nostra laborare ac convenire potuerunt, libentissime testimonium ferent ipsum revera, in quantum ipsi datum fuit, semper ita egisse ut Commissio Historica ac editiones ab hac Commissione curata viverent et florerent.

In *Analectis* nostris, duos articulos publicavit: unum in tomo 3 (1927), alterum in tomo 5 (1929). Plurimas notitias edidit in *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastiques*, sub litteris A et B; tres notitias edidit (Adam l'Ecossais; Aller Sebast.; Anselme d'Havelberg) in *Dictionnaire de Spiritualité*. In *Bijdragen tot de Geschiedenis*, I, 1923, in *Eigen Schoon en de Brabander*, XVI, 1933, in *Cahiers Bruxellois*, 1956, articulos edidit.

Memoria eius in benedictione habeatur!